Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

dei est. Et fons ille de quo superius diximus fluvius effectus letificat civitatem dei. Sed et tu si ex omni parte munitus sis et continentie muro circumdatus sapientie et magnanimitatis turribus confirmatus es, et tu efficieris civitas dei. Si vero ad haec omnia adieceris vel scientie lumen sicut dicit Ysayas: Inluminate vobis lumen scientie. Et si sol te iusticie radiaverit, efficieris et tu civitas solis, ut civitatem solis sorte hereditatis accipies. Sed et si te tradideris legi dei et in ipsa meditaberis die ac nocte et non recesserit liber legis de manu tua, sicut dicitur ad Ihesum, et si memor sis precepti salvatoris in quo dicit: Perscrutamini scripturas. Si ergo talibus te studiis mancipaveris et eruditionem legis divine vel legendo vel laudando obtinueris, tue portionis efficieris civitas litterae. Et haec quidem nos pro possibilitate sensus nostri ut et pro puri auditus capacitate discussimus. Summa vero scientie et profundior ac lucidior horum intelligentia apud illos erit, qui veram hereditatem veri et unigeniti filii que repromissa est his qui eum perfecte dilexerint consequi merebuntur per Christum Ihesum dominum nostrum, cui est gloria et imperium cum spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Finit XX. Incipit XXI. De difficultate intelligentie et caleph quomodo acceperit chebron ut de filiabus suis.

SI QUIBUS POSSIBILE EST ASCENDERE AD TERRAM SANCTAM ET BONAM TERRAM VIVENTIUM IN qua mors non est, si quis per spiritum meruit ad haec videnda conscendere, ille poterit vel nosse hereditatum et locorum et appellationum que his in locis scripta sunt differentias. Verum quia valde difficile est eruditam vel gratia spiritus repletam invenire animam, conamur nos consolationis communis causa, ne forte tedio efficiatur auditoribus sermo divinus et lectio, si nichil explanationis accipiat, orantibus vobis et domino donante haec de huiuscemodi lectionibus perstringere, que edificare possint animas nostras. Si quid autem est quod vel nos ad presens sentire non possumus, vel vos nondum potestis audire, ex his tamen que disserimus correctiores atque emendatiores redditi, et illa que nunc capere non possumus meliores effecti conprehensuros nos sperare debemus. Et quidem optimum erit haec adsequi dum in hac vita sumus, ubi laboris premium visum est. Si minus post obitum fortasse innotescent his qui merebuntur. Verumtamen et illud admoneo non parum ex hoc ipso utilitatis anime conferri, quod ad aures nostras licet obscura videatur lectio divini sermonis adlabitur. Sicut enim dicuntur a gentilibus quedam carmina quedam que incantationes appellant, quibus istud artis est insusurrantes nominibus quibusdam compellatis que ne illi quidem norunt quos invocant, ex solo vo